The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Ieiunium x
cum fonte primo

Bonum et salutare ieiunium quo redimuntur eterna supplicia dum remittuntur peccata. Non solum autem ablutio est peccatorum, sed et extirpatio uiciorum; non solum optinet ueniam, sed meretur graciam; non solum delet peccata preterita que commissimus, sed et repellit futura que committere poteramus.

Bernardus ibidem (sermone XXXVIII.).

Bonum ergo et salutare ieiunium, quo redimuntur aeterna supplicia, dum remittuntur hoc modo peccata. Non solum autem abolitio est peccatorum, sed exstirpatio vitiorum; non solum obtinet veniam, sed meretur gratiam; non solum delet peccata praeterita quae commisimus, sed et repellit futura quae committere poteramus.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in quadragesima*, 4, 1 (SBO 4, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.368, ll.11-16).